

Gaius LICOPPE

DE VARIIS SCOPIS LATINITATIS VIVAE

Spectatissime Praeses, Doctissimae Doctissimique Sodales,

Benevolentia Praesidis mihi licet verba facere extra argumentum.

De Latinitate viva servanda iam curabatur undevicesimo saeculo et in priore dimidia parte vicesimi saeculi. Aemilius Chatelain e.g. anno 1891 in praefatione sui optimi lexici Francogallico-Latini scribebat haec: «Laudandum consilium, cuius vox est diarium Latinum *Phoenix* inscriptum, est efficere ut lingua Latina fiat lingua universalis... Si hoc consilium aliquando ad effectum ducetur, sufficet lexicon conficere, quo nova inventa Latino sermone moderno exprimantur et vocabula iam ficta, quae in publicationibus inveniuntur, ut photographicus, typographicus, etc, confirmentur.»

Illis temporibus non pauca periodica Latina edebantur, Romae exempli gratia vel in Anglia; in Hispania quoque, ubi anno 1930 primum prodiit periodicum Latinum *Palaestra Latina* inscriptum. Creatum est a Patribus Hispanicae congregationis catholicae Claretianorum, qui multa collegia regebant; discipulos in lingua Latina discenda iuvare volebant. Singularis *Palaestrae* scriptor fuit Pater Iosephus Maria Mir, qui eius famam multum auxit, scopum, initio tantum scholarem, extendens ad usum generalem et modernum linguae Latinae; multos neologismos ibi proposuit. Hoc tamen non fiebat omnibus plaudentibus; in *Melissa* Mir ipse scripsit haec: «Ab anno enim 1944, ampla excitatur disputatio de novis vocabulis. De immoderato nostro progressu reprehendimur, vituperamur, excludimur, eicimur... Sed tempora procedunt, volvuntur; opiniones hominum mutantur; vertitur fortuna, quae nobis tandem subridere visa est.»

Haec mutatio facta est post «Primum Conventum Internationalem pro lingua Latina viva», Avennionem anno 1956 habitum.

Iosephus Maria Mir suum Lexicon *Nuovo Vocabolario della lingua Latina* postea Romae publicavit. Non mirum si inter sodales conditores nostrae Academiae fuit, ubi usque ad obitum anno bis millesimo indefessus propugnator fuit usus linguae Latinae etiam de vita moderna tractanda.

Tempore primi conventus Avennionensis nondum sciebam linguam Latinam adhuc paululum vivere; eam et Graecam optime didiceram apud Iesuitas, sed tantum antiquam et tacitam. Contra mihi maxime cordi erant conamina civitatum Europaearum, quae tandem statuerant potius confoederari, quam bellum inter se gerere.

Plura detrimenta quam emolumenta sunt senectuti; unum tamen magnum emolumentum habet, longiorem eventorum memoriam.

Educatus sum in familia cui erat, ut fere omnibus concivibus, maximum odium et terror Germanorum. Iam primo bello mundano eorum milites ut Vandali se gesserant in Belgica, insontes cives necantes, aedificia incendentes; veterem pulchramque bibliothecam universitariam Lovaniensem igne deleverunt; ibi periit dissertatio doctoralis adhuc defendenda patris mei, modo medicinae diploma nacti; pater quoque per quattuor belli annos ad stagnantia Isarae tela displosiva, bombas necnon gaza letifera passus est.

Initio alterius belli mundani Germanorum terror in Belgica consulto ita auctus est eorum bellicis aeroplanis, ut miserabiles incolarum turbae, relictis domibus, omnibus modis

conarentur aufugere (hoc ipse passus sum). Reliquae huius belli atrocitates adhuc sunt satis notae.

Hoc odium, quod mihi iuniori erat, hodiernis iuvenibus feliciter iam non est, sed ne obliti simus, hoc solum fieri potuisse beneficio confoederationis Europaeae.

Paulo post quam fortuito comperi locutores Latinos adhuc exstare, conveni Patrem Caelestem Eichenseer, Germanum, qui idem ac ego de necessitate Europae cunctandae sentiebat et putabat linguam Latinam ad usum hodiernum aptatam aliquid magnae utilitatis huic proposito conferre posse. Haec mihi quoque semper fuit ratio linguae Latinae studii. Eichenseer me Latinitatem vivam docuit; multum deinde cooperati sumus et primus amicus meus Germanus fuit; ab eo tempore Germaniam invenire et lustrare coepi et cum multis amicitiam contraxi.

Tunc solum comperi quomodo ortus esset Motus Latinitatis Vivae. Iohannes Capelle, egregius machinator et rector Universitatis Nanceiensis, anno 1952 in symbola «Lingua Latina an Turris Babelica», cuius maxima fuit audientia, doctis totius mundi suadebat, ut in operibus suis scientificis conscribendis multas linguas nationales relinquerent, quae tunc adhiberi solebant impediabantque ne omnes docti de universis investigationibus scientificis certiores fierent; redirent potius ad linguae Latinae usum, quae diutissime fuerat lingua doctorum universalis. Hoc fieri poterat, cum tunc fere omnes docti linguam Latinam in schola bene didicissent, etsi non ad usum. Novus inauditusque scopus! Quamvis a multis comprobaretur, civitatum tamen regentibus, nationalismo semper imbutis, displicebat reditus ad usum linguae Latinae; quare, deficiente auxilio publico, primus conventus tantum quattuor annis post institui potuit et quidem largitionibus privati Maecenatis Avennionensis. Opibus eiusdem Maecenatis, qui editor erat, statim post Conventum creatum est novum periodicum Latinum, *Vita Latina* inscriptum. Etiam iuvenis Iosephus IJsewijn, unus e futuris Academiae nostrae conditoribus, et praesertim eius uxor, ibi saepe symbolas Latinas divulgaverunt; tunc IJsewijn fautor Latinitatis vivae erat.

Complures Conventus Latini primo successerunt, sed iam post alterum Iohannes Capelle se Motus praesidentia abdicavit, cum, deficiente pecunia publica, vix quicquam factum esset ad eius destinata exsequenda. Post hanc repulsam, Americanorum tum maxima potentia in orbe terrarum gradatim omnibus, volentibus nolentibus, imposuit linguae Anglicae usum, non solum in scriptis scientificis, sed quoque in ceteris rebus internationalibus.

Quinque fuerunt Vitae Latinae conventus internationales, quorum ultimum, anno 1975, participavi; ibi solum audivi homines qui Latine recitare valebant, loqui non. Viginti annis post primum conventum Avennionensem, lingua Latina viva manebat muta.

«Verba monent, exempla trahunt». Anno 1973, Caelestis Eichenseer aliquid novi instituit, seminaria Latina, quibus per unam vel duas septimanas adultos Latine loqui docebat. Tandem exempla! Professor Christianus Helfer Universitatis Saravipontanae, cum scire vellet quid ageretur in his seminariis, unum participavit et mirans vidit Caelestem Eichenseer non solum fuse Latine loqui valere, sed quoque didascalice docere. Eum invitavit ut suus adiutor fieret in cathedra «Cultuum civilium Europaeorum comparandorum» et linguam Latinam vivam ibi proveheret. Tunc primum aliqua universitas publica hospitium dedit Latinitati vivae. Eius «favore et subsidio», periodicum Latinum *Vox Latina* inscriptum Helfer et Eichenseer anno 1976 recuperaverunt eique novam vitam dederunt. Eodem anno cum nonnullis aliis Latinitatis vivae fautoribus Societatem Latinam condiderunt, cuius scopus erat triplex: copiam novorum vocabulorum supplere, subsidia didascalica parare ac linguam Latinam nostrae aetati aptam esse probare. Cum hunc scopum omni ex parte comprobarem, duobus annis post sodalis factus sum Societatis Latinae Saravipontanae.

Eichenseer complura seminaria quotannis moderabatur, non solum in Germania, sed quoque in vicinis civitatibus; ibi participes diversorum sermonum patriorum gaudebant quod commenta inter se Latine commutare poterant et communem traditum cultum colebant. Tanto gaudio complebantur plerique participes, ut ubique orirentur circuli Latini, quibus in Latine loquendo se exercere pergerent. Tantis erat seminariorum successus, ut entusiasmus fieret contagiosus. Pater Suitbertus Siedl, Austrius Carmelita discalceatus, iussu Vaticano multis in locis Feras Latinas moderatus est, quarum scopus erat praecipue religiosus. Valahfridus Stroh, professor Monacensis et Academiae sodalis, postquam ad usum Latinitatis vivae conversus est, Ludos Latinos integrae septimanae anno 1985 Augustae Vindelicum constituit ad bismillesimum annum ab eius conditione celebrandum; mirum in modum commiscebatur musica cum sermone Latino. Tantis fuit successus, ut Stroh postea compluries Ludos Latinos constitueret in pulchris Bavariae oppidis; adiunxerat scholas, quibus complures scholarum, quos vocabat, de variis argumentis etiam ad vitam modernam spectantibus loquebantur et disputabant sua quisque cum schola.

Sodales nostri Finni Tuomo Pekkanen et Gregorius Pitkäranta Instituto Nationali Radiophoniae suadere valuerunt, ut sibi liceret singulis septimanis de novissimis eventis emissionem Latine facere. Praeses noster, Theodericus Sacré, ab initiis Circuli Latini Belgici sessiones tamdiu participavit quamdiu onus laborum sivit. Annis octogesimis vicesimi saeculi Latinitas viva florere coepit.

Repulsae tamen graves multorum entusiasmum restrinxerunt. Latinitatis vivae fautores sperabant se regentibus Communitatis Europaeae suasuros esse, ut linguam Latinam quoque inter agnitas linguas dialectosque acciperent, sed infeliciter publicae auctoritates, et nationales et internationales, Latinitati vivae manserunt infestae. Haec etiam gravior repulsa fuit, quod Europaei linguam Latinam docentes, perpauca exceptis, noluerunt Latinitatem vivam sibi assumere ad institutionem tandem vividiorum iucundiorumque reddendam. Contra in Foederatis Americae Civitatibus conventicula a sodale nostro Terentio Tunberg creata praesertim participant linguam Latinam docentes; ei etiam licuit in Universitate Lexintoniana magisterium instituere, ubi una cum sodale nostra Milena Minkova Latine doceretur.

Gradatim praecellit scopus institutorius. Inter hodierna huius generis incepta optimum locum certe occupat Vivarium Novum, nostri sodalis Aloisii Miraglia partus. Nusquam hodie sermo Latinus necnon fontes Graeci et Latini nostri cultus civilis melius discuntur. Inest tamen grave vitium, cuius optimum exemplum mihi fortuito allatum est verbis, quae in *Melissa* (fasc. 210) nuper divulgavit iuvenis doctor Moscuensis in Vivario Novo edoctus; scribit enim haec :

«Omnes hi circuli Latini, qui dicuntur, in quibus persaepe viri etiam aetate provectiore (*gratias ago!*) hoc tantummodo volunt, ut pro virili parte vocabulum Latinum ad *iPod* significandum inveniant. Quid tamen sit discrimen inter hos circulos et societates, ubi lingua Clingonica discatur? Verum est haec studia quibusdam hominibus voluptatem et gaudium afferre posse, sed nos quidem cum sodalibus bonorum auctorum quam veterum tam recentiorum commercium quaerimus.»

Talis mens ducit ad turrim eburneam paucorum inflatorum. Ne linguam Latinam, cui tot praestantes homines operam dederunt ut vitae modernae aptaretur, reddiderimus mancam. Lingua Latina viva hodie tantum est humilis, sed nobilis candela. «Nemo scit quid serus vesper vehat», quare oportet Academia nostra candelam tueatur et servet. «Tempora volvuntur», ut scribebat Mir; fortasse aliquando splendidiorum lucem iterum accendet...

Dixi.

g.licoppe@skynet.be